

num. 113. Fachinazus l. 8. contr. cap. 31. Vaniusque illustr. contr. lib. 2. cap. 69. eisque consentit Balbus 1. p. 3. princ. q. 1. n. 4. & seqq. quando scientia tituli fupervenit ante completam Præscriptionem. Ratio est: quia, tametsi

## SECTIO III.

### De Possessione.

#### SUMMARI A.

334 & seqq. Possessionis natura & diversitas. 342. & seqq. Quot actus requirantur ad quasi-possessionem? Opiniones sunt varia. 344. & seqq. Quæ opes distinctionis inter actus conciliantur. 348. & seqq. In Præscriptione privativa non exiguntur possessio. 354. & seqq. Non obstantibus textibus aut rationibus contrariis. 359. Corollarium præ præxi. 360. & seqq. Ad positum possessio desideratur. 363. & seqq. Possessio impropria non sufficit. 367. & seqq. Ne quidem in herede. 369. Nisi vincitur causa possessionis. 370. & seqq. Paris et instantiæ rejicitur. 373. & seqq. Utram conditio jus perpetua colonia valeat præscribere? Auctores & rationes pro & contra adducuntur. 378. & seqq. Deciditur,

quod extinguitur actio personalis, non autem realis. 381. & seqq. Modus possidendi naturalis est necessarius ad Præscriptionem. 384. & seqq. Possessio naturalis non sufficit ad Præscriptionem dominii. 387. Sed alterius juris. 388. & seqq. Latè examinatur sententia Vasquii, possessionem naturalem ad Præscriptionem admittentis, casu quo res duobus fuit vendita, & primo sic, alteri naturaliter tradita. 402. & seqq. Possessio civilis omni tempore requiritur ad omnem Præscriptionem. 405. Modus possidendi civiliter sufficit ad continuandam Præscriptionem. 406. & seqq. Imò etiam ad inchoandam, quando traditio sic præcedit. 409. & seqq. Dicitur illud: tantum præscriptum, quantum possessum, dividatur.

#### §. I.

#### Quid & quotuplex sit Possessio?

334 **T**ertium Præscriptionis requisitum est possessio. Hæc vel est propria vel impropria. Impropria est detentio rei, animò quidem eandem habendi, non tamen ut suam, aut sibi; quæ ratione possident conductor, commodatarius, depositarius &c. Propria tam varias habet descriptiones, ut Balbus 2. p. 3. princ. q. 1. num. 1. dixerit, ne prudentes quidem eam definire aulos fuisse. Describitur tamen convenienter ad propositum (nam amplius hujus rei cognitio ex lib. 3. in vr. de fure propriet. cap. ult. erit petenda) quòd sit detentio rei animò eandem sibi habendi.

336 Possessio propria dividitur diversimodè. Hic dividitur I. in naturalem & civilem. Civilis est detentio rei animò eandem habendi ut suam, cum opinione domini. Naturalis est detentio rei animò habendi ut suam, seclusà opinione domini, puta si possidens sciat, aut opinetur, rem alienam esse; ut non tantum contingit in re v. g. sed etiam in usufructu.

337 **P**rio vel creditore pignoratitio. Itaque possessio civilis aut naturalis hic denominatur ab intentione vel causa possidendi; non autem à modo. Nam modò civilis possidere diceris, si animò solò rem teneas; modò naturalis vero, si actu rei insistas.

338 Dividitur II. possessio in justam, & injustam. Justa dicitur, quæ justò titulo est suffulta. Injusta, quæ justò titulo destituitur. Unde possessio justa nequaquam cum civili aut confundenda, aut convertenda est; neque naturalis cum injusta. Nam qui credit, rem suam esse, & ex errore putat, quòd titulum ha-

beat, cum non habeat, possidet civiliter, nec tamen justè. Econtrà qui opinatur, rem alienam esse, ignorans, quòd titulum habeat, cum tamen habeat, possidet naturaliter, nec tamen injustè.

Dividitur III. possessio in verè talem, & 340 quasi-talem. Illa pertinet ad res corporales; hæc ad res & jura incorporalia; quemadmodum enim incorporalia jura per se non cadunt sub sensum; ita etiam detentionem & veram possessionem refugiant. Huc respexisse videtur Paulus in l. possideri 3. in pr. ff. de A. vel A. P. ubi ait: possideri autem possunt, quæ sunt corporalia.

Quia tamen & ipsa in humano versantur commercio, & non minus quàm jura corporalia Præscriptioni subjacent, eorum acquiritio per quasi-possessionem fieri, communiter dicitur. Hæc verò quasi-possessio nihil aliud est, quàm usus & exercitium alicujus actus, aliàs ex jure incorporali promanantis; sicque non tam in detentione quàm usu & exercitio consistit. Covarruv. p. 2. relect. cap. possessor. init. n. 6.

Certamen verò inter DD. oritur, quot ac-342 tus requirantur, ut aliquis in quasi-possessione rerum & jurum incorporalium constituatur? Nonnulli apud P. Bingel ad tit. de Elect. num. 3. plures actus requirunt arg. cap. cum Ecclesia 3. cap. cum olim 7. de Caus. posses. & propriet. cap. querelam 24. in fin. de Elect. in quibus textibus ad acquirendum eligendi jus, quod utique etiam est incorporale, pluralitas actuum requiri videtur. Quidam econtrà cum Covarruv. 343

les. cit. & Glossa in d. cap. cum Ecclesia, Balbo d. 1. p. 5.

p. f. princ. quæst. 8. num. 2. & aliis communiter volunt, unicum etiam actum ad constituendam quasi-possessionem sufficere propter textum in l. ait Prætor. 1. §. 2. ff. de Aqua quot. & estivo. ubi Prætor interdicitum seu remedium possessorium illi accommodat, qui semel duntaxat aquam duxerit.

344 Medià distinctionis vià incedit Panormitanus in d. cap. cum Ecclesia 3. de Causa poss. & propriet. num. 22. quem sequitur Magnif. P. König ad eundem tit. part. 1. num. 41. & P. Reiffensuel ibid. à num. 1. 5. Secernenda videlicet jura, quorum exercitium non facile solet concedi, nisi quasi-ex debito, v. g. jus eligendi, præstandi, decimandi &c. à juribus aliis, quorum usus ex familiaritate, amicitia, vicinitate non rarò permittitur, uti v. g. in servitutibus vicinis, v. g. ad us. &c. contingit. In juribus primi generis ad quasi-possessionem

unus actus sufficit: ex quo enim is, de cuius interesse agit, tacet, & dissimulat, videtur supponere, alterum qui exercet actum, id jure & justa ex causa facere d. l. ait Prætor. §. 2. de aqua &c. In juriibus secundum generis plu-345 res actus ad quasi-possessionem requiruntur, ex quibus verosimiliter constare possit, utentem non ex familiaritate, amicitia, aut gratia in usu perflittere arg. l. Prætor ait 1. §. 2. ff. de litem. actuque priv. Hæc distinctio, velut aquita-347 ti & Juri consentanea, probatur à Postio in vr. de Mantuendo observ. 18. num. 45. nec mihi displicet; ut minimè dubitem, quin possessio, per unicum actum acquisita, accedente temporis legitimi decursu, sufficiat ad Præscriptionem, veluti non semel decidit Rota in recent. p. 14. dec. 3. n. 2. p. 1. dec. 296. n. 8. p. 17. dec. 295. num. 5. p. 10. tom. 1. dec. 314. n. 3. p. 19. tom. 2. dec. 589. n. 5.

#### §. II.

#### Utrum in omni Præscriptione requiratur Possessio?

348 **R**epeto hic divisionem Præscriptionis in positivam & privativam eamque juxta fidem in cap. 1. num. 51. datam, unà cum præfenti questione declaraturus,

Dico I. Præscriptio privativa non requirit possessionem. Probat I. jus, ex propria inclinatione mortuum finitum, extinctum, non indiget possessione ad hoc, ut moriatur, finiatur, extingatur; posteaquam enim vitam amisit juridicam, à morte non amplius excitatur, sive præcesserit aliqua possessio, sive non præcesserit. Sed in Præscriptione privativa moritur, finitur, extinguitur jus ex propria inclinatione: quia ex dispositione Juris solummodo ad certum temporis spatium vivere permittitur; quemadmodum ipsimet Imperatores phrasi juridicà in textibus, mox citandis, loquuntur. Ergo &c.

350 Confirmatur I. Actiones personales, actiones penales, restitutio in integrum, servitus rusticæ, appellatio, & jura ejus conditionis plura, enumerata à Jurisperitis ad tit. ff. de Divers. & temporal. Præscriptio. ita sunt alligata certo tempori, ut, nisi actiones personales moveantur intra tricennium, penales pratorie intra annum, restitutio intra quadriennium, servitus intra decennium, appellatio intra decennium, suapte indole independenter ab aliqua possessione debitoris evanescant l. sicut 3. l. omnes 4. Cod. de Præscr. 30. annor. l. super annali 1. §. 1. Cod. de annali Except. l. recepticia 2. Cod. de Const. pecun. l. in honorariis 35. ff. de O. & A. l. ult. Cod. de tempor. Restitut. in integr. Atqui in præfatis juribus datur Præscriptio privativa: quia non acquiritur jus novum, sed jus, antea præexistens, perditur. Ergo in Præscriptione privativa possunt creditoris jura citra omnem possessionem aboleri.

351 Confirmatur II. Memorata jura non ceduntur absolute; alioquin nullò non tempore exerceri possent; sed conditionatè, si nimirum intra tempus legitimum fuerint exercita. P. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

Ergo si non exerceantur intra illud tempus, propria sponte intereunt; neque recreantur amplius post interitum, secundum iteratas antiquorum fabulas, uti differit Justinianus in d. l. 1. §. 1. Cod. de ann. Except.

Probat II. Implicat in Præscriptione privativa possessio. Ergo desiderari non potest. Antecedens prob. Si Sempronius Titio 100, debeat ex mutuo, atque ab hoc debito se liberaturus, contra actionem mutui, Titio competentem, præscribere velit, quidnam pro objecto possessionis assignamus? an 100. mutuo datos? Sed isti sunt in dominio debitoris: cum mutuum inde dicatur, quòd ex meo tum fiat l. mutuum 2. §. 2. ff. de R. C. An actionem ex mutuo seu conditionem certi? At hæc, ut insigniter arguit Panormitanus ad cap. ult. h. tit. num. 8. non dicitur possideri à debitore: cum detur contra eum & sit penes creditorem. An libertatem propriam? Verum hanc amisit nunquam, nisi quantum, petente & exigente creditore, ad solutionem obligatur. Ergo si creditor intra præfixum à Lege tempus exigere & petere intermiserit, libertas debitoris intacta manet. Cum igitur assignari nil queat, quod debitor in Præscriptione privativa possidere valeat, sequitur, possessionem in hac Præscriptionis specie implicare.

Et ex his rationibus juxta nostram senten-353 tiam conclusit Rota in recent. p. 4. cons. 3. dec. 157. num. 11. & seqq. ibi: responsum fuit, tunc esse necessariam possessionem, quando quis vult acquirere mediante Præscriptione novum jus; secus vero, quando quis inducit Præscriptionem ad defendendam contra alterius actionem: quia tunc perfitur Præscriptio absque alia possessione ex solo cursu temporis: cum aliàs nunquam præscriberetur contra actionem.

Obijcies. Sinè possessione Præscriptio non; 354 procedit cap. 3. de R. f. in 6. l. 25. ff. h. r. Ergo nec procedit Præscriptio privativa: quidquid L 1

enim de genere dicitur, ad omnes species, sub genere contentas, perinet.

355 Resp. distinguendū antecedens: sine possessione Præscriptio non procedit, quando possessio est possibilis, concedo; quando est impossibilis, nego antecedens. At in Præscriptione privativa non est possibilis possessio juxta *num. 352*. Ergo sine illa Præscriptio re-  
356 cte procedit. Quod additur in ratione conseq. huc non quadrat: negatur enim, ad Præscriptionem in genere esse necessariam possessionem, ex dictis *cap. 1. num. 38*.

357 Urgebis: saltem in præscribendis juribus negativis opus erit possessione: hæc siquidem non aliter amittuntur viâ Præscriptionis, quam per contradictionem seu prohibitionem unius, & acquiescentiam alterius; quæ loco possessionis æstimatur per *l. hac autem jura 6. in pr. ff. de S. P. U.*

358 Resp. talem contradictionem & acquiescentiam requiri tantum in præscribendo jure negativo adversus actum meræ facultatis, juxta superius dicta in *cap. 4. n. 79*. non item in præscribendo jure negativo adversus actum positivum, qui non sit meræ facultatis, sed habeat annexam obligationem præscribere volentis, adeo ut cū dicto actu necessariò sit conjuncta actio, quæ facultas juris dicitur: tunc enim Præscriptio perficitur ex solo cursu temporis & negligentia petentis, ut patet in actionibus personalibus. Ita in terminis ferè Hieronymus Rocca *select. disp. lib. 1. cap. 85. num. 13. & seq.*

359 Colliges hinc plura pro praxi, quòd nempe, quoties agitur de præscribendo vel extinguendo alterius jure, nil aliud desideretur,

quam non-usus ejusmodi juris, per tempus à Lege statutum constitutus: adeoque quòd, si aliquis non exigat collectas, servitia feudalia, decimas per tempus 30. 40. vel plurimum annorum, mediante Præscriptione jus suum amittat. Cravetta de *Assig. temp. part. 4. pag. m. 322. à num. 39*. Covarruv. in *cap. possessor. p. 2. §. 2. num. 9*. Hieronymus Rocca *d. cap. 84. num. 12*. ubi plurimos allegat.

Dico II. Ad omnem Præscriptionem positivam requiritur possessio. Probat ex textibus, primum in *num. 354*. allatis. Et ratio discriminis præter eam, quam *num. 355*. dedimus, hæc esse potest inter Præscriptionem positivam & privativam: quia per illam jus aliquod comparatur; per hanc comparatum tollitur. Jam verò ut jus acquiratur, necessaria est possessio, à qua omne dominium primævam duxit originem *l. possessio 1. §. 1. ff. de A. vel A. P. Clariff. D. Verlohner in cit. Certam. possessor. Contr. 1. per tot.* Dominium quippe illis 361 non advenit, qui animò dominium accipiendi destituerunt. Destituerunt verò, vel saltem destituti esse præsumuntur animò accipiendi dominium, qui nullò externo signò, nullò v. actū possessoriò internum animò manifestant. Econtra ut jus comparatum tollatur, sufficit 362 ex parte creditoris ommissio possessionis, seu potius non-usus juris intra tempus, cui usus ille adstrictus erat: sic enim sufficienter monstrat, nolle se jus in patrimonio deinceps habere. Ergo alter, cui incumbat jus passivum seu obligatio vel patiendi vel aliquid faciendi in gratiam creditoris, definit esse obligatus ad ulteriorem patientiam aut factum.

### §. III.

#### An impropria Possessio sufficiat ad Præscriptionem positivam?

363 Dico I. Ad Præscriptionem positivam impropria possessio possessori nunquam proficit ad præscribendum. Ita Balbus de *Præscript. p. 4. quest. 11*. Perez in *Cod. ad tit. de Præscript. 30. annor. num. 13*. Brunn. ad *l. male agitur 2. ibid. num. 2*. Deducitur ex *l. pignori 13. in pr. ff. h. t. l. cum hæres 11. ff. de Div. temp. Præscript.*

364 *l. qui legatorum 2. §. 1. ff. pro Hærede.* Ratio non una potest assignari. Inprimis enim si Præscriptio sit ordinaria, requirit titulum translaticivum dominii ex *num. 219*. At, ubi reperitur impropria possessio, non potest concurrere titulus, dominii translaticivus ex *n. 211*.

365 Ergo &c. Deinde cùm impropria possessio faciat, ut possessor sciat, rem detentam non ad se, sed ad alium, cujus nomine eam detinet, spectare, faciet etiam, ut constituatur in mala fide, & quidem peccaminosa, ac Præscriptionis impeditiva ex dictis à *num. 62*. Demum Præscriptio, tanquam effectus ac partus legitime possessionis, nequit ab impropria possessione, tanquam non-legitima, pronasci; sed, quemadmodum improprius possessor non sibi sed alii rem tenet; neque tam possidet, quam instrumentum est possessionis, ad alium

pertinentis; ita etiam non sibi sed alteri, cujus minister est, præscribit per *l. possessio 1. §. 14. l. possideri 1. §. 8. l. si de eo 40. §. 1. l. possessio 49. §. 2. ff. de A. vel A. P.*

Dico II. Non tantum primo possessori, sed 367 etiam illius universalis successori seu hæredi officit possessio impropria. Ratio est: quia hæres rem, defuncto v. g. locatam, commodatam, depositam, vel alia ex causa improprie possessam, præscribere nequit; veluti jam antehac in *num. 294*. assertum fuit: quia nempe 368 vitium possessionis, in quo defunctum ad præscribendum reddidit incapacem, etiam in hæredem transit per textum disertum in *l. cum hæres 11. ff. de Divers. temporal. Præscript. l. vitia 11. Cod. de A. & R. P.*

Nisi ex novo 369 titulo, extrinsecus adveniente, possessio impropria vertatur in propriam per textum in *l. possideri 3. §. 20. ff. de A. vel A. P.* alias enim hæres ex sola voluntate, sine titulo, ab extrinseco superveniente, causam possessionis sibi mutare non potest *d. l. §. 19. l. non solum 33. §. 1. ff. h. t.*

Dices: mala fides defuncti non nocet hæredi in Præscriptione temporis longissimi, si eandem

eandem suo nomine velit inchoare & perficere. Ergo etiam impropria possessio defuncti non nocet hæredi in Præscriptione longissimi temporis, si eandem suo nomine velit inchoare & perficere.

371 Resp. negandò conseq. Ratio disparitatis est: quia mala fides in defuncto non officit Præscriptioni temporis longissimi de Jure Civili ex *num. 14*. Unde nec hæredi poterit nocere, præsertim ubi in bona fide extiterit. At impropria possessio nocet defuncto non tantum in Præscriptione longi vel longissimi, sed

372 etiam immemorialis temporis: ex hac enim ratioe laici ne quidem per tempus immemoriale præscribere valent decimas aut alia jura spiritualia, quia nempe tempus immemoriale non potest supplere defectum possessionis, quæ Præscriptionem necessariò debet antecedere ex *cap. 4. à num. 22. & à n. 386*. Ergo etiam nocet hæredi, in quem vitia defuncti ex *num. 368*. transferuntur.

373 Quæres: an possessor improprius, & in specie conductor rei alienæ non possit jus aliquod personale, seu perpetuè, ut vocant, colonie præscribere, ita quidem, ut, si fundum v. g. aut ædes absque præfinitione certi temporis conduxerit, & ultra 30. annos aut fundum coluerit, aut ædes incoluerit, solutà semper mercede, quam debebat, non amplius exinde depelli valeat?

374 In hac quæstione Brunn. ad *l. male agitur 2. Cod. de Præscript. 30. annor. n. 9*. Card. Mantica de *usur. & ambig. convent. lib. 5. tit. 2. num. 57*. Gothofredus ad *l. item quæritur 13. ff. Locati h. t. x.* probabilem judicant affirmativam. Ratio est: quia, sicut cæteræ personales actiones, ita actio locati 30. annis extinguitur per *l. fient 3. Cod. d. s.* At, extinctà actione locati, locator non potest agere ad expellendum conductorem. Adeoque post 30. annos conductor non poterit de sua colonia depelli.

375 Accedit, quòd, cum locatio-conductio expressà conventionem possit in perpetuum contrahi, possit etiam in perpetuum acquiri Præscriptione 30. annorum: hujus enim Præscri-

ptionis ex disputatis in *cap. 4. à num. 169*. tanta est efficacia, ut etiam jus annuum, seu jus præstandi quot annis certam pecuniam fustam aut alia servitia producere valeat.

Verum pro parte negativa pugnant Turz 376 ad *l. male agitur 2. Cod. d. s. num. 13. in f.* Tuldenus, Cothmannus & alii; quibus fortiter afflitt *d. l. male agitur*, quæ ita sonat: *novus igitur, qui ad possessionem conductoris accedit, diu alienas res tenendò, jus sibi proprietatis usurpet, ne cogantur domini aut amittere, qua locaverunt, aut conductores utiles sibi fortassis excludere, aut annis omnibus super dominio suo publice protestari.* Ecce! in 377 hac *l.* non tantum Præscriptio quoad jus dominii, sed etiam jus perpetuæ colonie remota videtur: quoniam locator aut dominus non potest aut rem locatam ad se revocare, aut alium & sibi fortassis magis utilem conductorem substituere, si præscribentem in perpetua colonia tolerare debere.

Ego cum Balbo de *Præscript. cit. p. 4. princip. 378 quest. 11. n. 2*. sentio jus perpetuæ colonie posse equidem præscribi contra actionem personalem locati, utpote quæ ex *num. 174*. lapsu 30. annorum suapte natura expirat; at non posse præscribi contra actionem realem, quæ locator rem locatam repetit ex *cit. l. male agitur 2. inclinante huc Rota Rom. in rec. p. 6. dec. 23. n. 6 & 7.*

Cùm enim deficiat conductori 379 vera possessio, non potest excludere locatorem, rem suam actione reali vindicare volentem; nec etiam opponere potest exceptionem locationis, eò quòd locatio tacita, ex lapsu temporis præsumpta, in prædiis rusticis ad annum dampnat, in prædiis autem urbanis usque ad tempus, de quo in prima locazione convenit, renovata censeatur *l. item quæritur 13. §. ult. ff. Locati. Rota Rom. p. 2. decis. 14. num. 1.*

Nihil interim dicendò, quòd; 80 conductor, si jus aliquod positivum suâ Præscriptione comparat, & consequenter positivè velit præscribere, non leve patiar impedimentum ex defectu bonæ fidei, & scientia juris alieni, prout gnæviter advertit Balbus *cit. l. n. 3.*

### §. IV.

#### Utrum Possessio naturalis proficit ad Præscriptionem positivam?

381 Dico I. Possessio naturalis, à modo sic appellata, seu modus possidendi naturaliter summo prodest, imò requiritur ad Præscriptionem positivam. Ratio est: quia possessionem ipsam non aliter adipiscimur, ac per modum possidendi naturaliter §. possidere §. *Infl. de Interdict. ubi nec ulla*, Imperator inquit, *dubitatio est, quin animò solò adipisci posses-*

382 *ionem nemo possit.* Minus itaque Præscriptionem consequemur, nisi possessio à modo possidendi naturaliter, sive actuali apprehensione & insistentia rei fuerit inchoata.

383 Quemadmodum verò naturali modò possidemus, & ipsam possessionem nascimur non tantum per nos, sed etiam per procuratores, curatores, tutores, filios &c. pari ra-

tionem non licet ambigere, quin possessio, hòc modò acquisita, conducatur ad Præscriptionem, si modò (extra peculiū causam) nostra accedat scientia §. *ex his itaque §. Infl. per quas personas &c. l. acquiruntur 10. §. 7. ff. de A. R. D. l. possessio 49. §. 2. ff. de A. vel A. P. l. si exemptam 47. ff. h. t.*

Dico II. Possessio naturalis, à causa possi- 384 dendi taliter nominata, non prodest ad Præscriptionem dominii, sed alterius juris. Ita Balbus de *Præscript. 2. p. 3. princip. p. 3. n. 1. & seqq.* cum pluribus ibidem nominatis, Covarruv. in *relect. cap. possessor p. 2. init. n. 7*. Pax Jordan. *elucubratur. div. lib. 14. tit. 24. n. 109*. Gilken de *Præscript. p. 2. membr. 3. cap. 2. n. 1. & seqq.*

385 Ratio primæ partis est: quia possessio naturalis, ex causa possidendi taliter nominata, qualè v. g. usufructuarius obtinet respectu rei fructuarie, aut non habet conjunctum animum, præscribendi dominium; aut, si habeat, ob scientiam alienæ rei deficiet bona fides. Ad eoque Præscriptioni non prodest, sed obest.

386 Confirmatur. Quamdiu verus rei dominus retinet possessionem civilem, tamdiu retinet dominium, in possessione civili fundatum. Sed quamdiu præscribens habet possessionem solum naturalem, verus rei dominus retinet possessionem civilem: & ideò dominium non acquirit præscribens, sed antiquus dominus retinet per textum in *l. possessio* §. 1. §. 14. ff. de A. vel A. P.

387 Ratio secundæ partis est: quia, si quis usufructum v. g. vel aliud jus incorporale velit præscribere, non obstante scientiâ rei alienæ, potest habere credulitatem, jus usufructus, quod per annum collectionem fructuum ex aliena re exercet, ad se spectare; ideòque jus usufructus civiliter possidere, & mediante Præscriptioe sibi acquirere valet per textum in *l. qui usufructum* §. ff. si usufr. petat. *l. ut. ff. uti possidetis* §. 1. §. 8. ff. Quod vi aut clam &c. Revideantur dicta in n. 245. & seqq. ubi de Præscriptione servitutum & aliorum iurium incorporalium actum est.

388 Hæc quamvis unanimi ferè calculò sint comprobata: controversiam tamed move non veretur Vasquius *Illustr. controvers. p. 1. lib. 2. cap. 57. n. 5.* ac possessionem naturalem ad Præscriptionem dominii aliquando sufficeret, quamvis ex propria confessione contra torrentem) contendit; referens casum, ubi una eademque res (intellige aliena) duobus vendita fuit, & primo quidem emptori non tradita traditione verâ, sed ab ipsomet venditore ejusdem emptoris nomine vel per clausulam constituti vel precario possessa; secundo tamen emptori non solum vendita, sed etiam (licet injustè) verâ traditione tradita.

389 In hoc casu, ait Vasquius, primus emptor possidet civiliter tantum, alter verò tantum naturaliter possidet: alias fieret, ut duo eandem rem in solidum possiderent contra *l. possideri* §. 5. ff. de A. vel A. P. Jam verò, pergit Vasquius, possessio, naturaliter apprehensâ & continuata, magis promovet Præscriptionem, quam civiliter tantum continuata: illa enim est magis evidens & corporalis, quam ista, quæ soli inhæret animo: illa est conformior rationi inductivæ Præscriptionis; ne dominia videlicet sub incerto fluctent; quia facit, ut dominia fiant certiora & notiora; quam ista, quæ aniam variis dolis ac fallaciis subternit. Ergo non hanc sed illam possessionem attendunt Jura. Ergo possessio naturalis se solò sufficit ad præscribendum.

390 Ad hanc Vasquii argumentationem, ex ampliori deductione in compendium redactam, sentio imprimis: in relata facti specie non solum primum emptorem, sed etiam se-

cundum possidere civiliter & civili possessione. De primo res videtur liquida per *l. clam. possidere* §. 6. §. 1. ff. d. r. ubi, qui ad nundinas profectus est, possessionem (utique civilem) retinere dicitur, licet alius interea possessionem occupaverit. Item per *l. si id 25. §. 2. ff. eod.* ubi eoque possidere aliquis creditur, donec revertentem alius repellat. De 391 secundo est textus in *l. furium* §. 7. §. 1. ff. h. i. cuius hæc est sanctio: *fundis quoque alieni possessi aliquis sine vi nunciatis possessionem, qua vel ex negligentia vacet, vel quia dominus sine successore successerit, vel longo tempore abfuerit.* Et quòd sermo hic fiat de possessione civili, probatur 392 tum ex *l. seq. 38.* ubi deciditur, quòd rem ita possessam, is quidem non possit ut capere, qui intelligit, alienum possidere: sed si alii bona fide accipiens tradiderit, poterit is usufructu, quia neque vi possessum, neque furivum possidet: abolita est enim quorundam veterum sententia, existimantium, etiam fundis locis furivum fieri: tum ex 393 ratione, quia is civilem possessionem habet, qui rem detinet animò habendi ut suam cum opinione domini ex *num. 3. §. 6.* At secundus emptor rem detinet animò habendi ut suam cum opinione domini: quia supponitur, rem bonâ fide & titulò coloratò accepisse. Ergo &c.

Neque formido *l. possideri* §. 5. ff. de A. 394 vel A. P. quòd duo eandem rem in solidum possidere non possint: præterquam enim quòd à multis contrarium defendatur, uti perspicere est apud P. Haunold *tr. 3. cap. 3. contr. n. 212.* nec sine ratione, cum in *l. si duo 5. in pr. ff. uti possidetis* luculenter supponatur: Cuius, penes duos ejusdem rei possessionem in solidum dari: insuper illa L. communiter 395 explicatur de possessione unius & ejusdem generis; & (ut ego quidem interpretor) nominatim de possessione naturali seu modo possidendi naturaliter intelligi debet, ita ut duo naturaliter eidem rei insisterent nequeant, veluti ex fine *d. l. 3. §. 2.* colligitur, ubi Paulus suam sententiam partim declarat, partim confirmat ex hoc, quòd non magis eadem possessio apud duos esse possit, quam ut in stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.

Sentio II. primum emptorem cæteris pa- 396 ribus in Præscriptione potiorum esse secundò: tum quia jus habet antiquius *arg. eorum*, quæ aliàs de antiquiori possessione traduntur: tum quia tempora, quæ primus bonæ fidei possessor in Præscriptione jam confecerat, proximo & immediato possessori seu primo emptori prodesse dicuntur in §. 7. & 8. *Inst. h. r.* tum denique quia possessio civilis ad complendam Præscriptionem sufficit, & primo emptori ad hoc complementum pauciores anni deficiunt, quam secundo, qui propter malam fidem vendentis probabiliter ante vicennium non præscribet, secundum deducta & dicta superius in *num. 9.*

Dico cæteris paribus, si nimirum habitâ no- 397 titiâ, quòd alius possessionem occupaverit, eandem

eandem recuperare non omiserit: si ve enim noluerit, si ve recuperare volens non potuerit, fortè quia à secundo possessore repulsi acquievit, tunc etiam civilem possessionem amittit, adeoque & facultatem præscribendi. Magnif. P. König ad *tit. de caus. possess.* p. 1. n. 69. P. Engel ad *h. t. n. 27.* Gilcken p. 2. *Membr. 3. cap. 2. n. 25. & seq.* Ita in pluribus Juris nostri locis statui deprehendimus, præcipue in *l. esinolis* §. 1. §. 2. *l. si de eo 40. §. 1. ff. de A. vel A. P. l. furium* §. 7. §. 1. & *l. 398 seq. ff. h. r.* Et quamquam in *l. peregrè* §. 4. §. ult. ff. de A. vel A. P. & in *l. prator ait* §. 2. §. 2. ff. de Vi & vi arm. etiam ignorantibus dominis possessio dicatur amitti, si per procuratorem vel colonum possederint, & hi vel dejecti fuerint, vel sponte deseruerint possessionem: illud tamen de naturali possessione, quæ sola per procuratorem aut colonum retinetur, vel potius de modo possidendi naturaliter; non autem de civili, quæ pendet ex animo domini, est accipienda *arg. l. si colonus* §. 7. ff. de A. vel A. P. Haunold *d. loc. n. 241.* Clarif. D. Laurentius Alb. Verlohner in *Certam Possess. contr. 13. n. 2.* Quantum verò temporis exigatur, ut primus emptor ob repetitionem non interpositam possessione civili privatus censetur, non una omnium est mens & sententia.

399 Sentio itaque III. cum Innocent. Alex. Castrenf. Angelo, & aliis, quos allegat & se-

quitur Gilcken *cit. loc. n. 24.* rem arbitrio Judicis esse relinquendam: quotiescunque enim in Jure nil certi est statutum, solemus ad Judicis arbitrium recurrere *arg. l. si servus* §. 1. §. 2. ff. de Jure delib. Sed in præsentî negotio nil certi reperimus in Jure, nisi quòd in *l. furium* §. 7. §. 1. ff. h. r. longi temporis mentio inferatur: quod tamen non est sine accipiendum, quasi longò tempore possessio amittatur; sed referendum est ad illum, qui possessionem absentis ingreditur, ut clam possidere non credatur, si prius possessio longò tempore abfuerit. Nec per longum tempus 400 hic 10. anni possunt intelligi: partim quia possessio non videtur tam prolixò spatio, quam proprietates, concludi: partim quia in *l. quam rem* §. 38. max. seq. conceditur Præscriptio ex parte secundi possessoris; quòd fieri non posset, si primus 10. annorum possessione gauderet: quia tunc secundo jus præscribendi & ipsam proprietatem mediane Præscriptione præripere. Quare tem- 401 poris determinatio prudenti Judicis arbitrio committitur, ut juxta rei possessæ, absentis, distantis, personæ &c. circumstantias item dirimat. Ex quibus omnibus ultimatò concluditur, veram esse conclusionem nostram in n. 384. positam; neque catum effigurari, aut excogitari posse, quòd sola naturalis possessio generandæ Præscriptioni, squærendoque domino per se sufficiat.

§. V.

Qualiter Possessio Civilis ad Præscriptionem positivam sit necessaria, vel proficua?

402 Dico I. Possessio civilis, ex causa possidendi sic nuncupata, ad omnem Præscriptionem positivam omni tempore requiritur. Covarruv. in *relect. cap. possessor disp. 2. init. num. 7.* Pax Jordan *elucubr. div. cit. l. 14. tit. 24. n. 108.* Colligitur ex dictis. Ratio est: quia ad Præscriptionem positivam exigitur possessio, conjuncta cum animo acquirendi dominium aut aliud jus, bonæque fidei amicitia; & quidem per tempus, à Lege definitum, continuata *l. usufructio* §. ff. h. r. Sed talis est sola possessio civilis, si omni tempore continuatur. Debet igitur adesse in principio, ut fundet animum præscribendi & bonam fidem: debet adesse in decursu, ut conservet, quòd bene cepit: debet adesse in fine, ne bonum initium corruptur vel interrumpatur in fine *arg. §. possideri* §. *Inst. de Interd. l. possideri* §. 3. §. 7. ff. de A. vel A. P. Interim sicut vitia possessionis non legitime transeunt ad successorem universalem ex n. 368. ita etiam virtus legitimæ possessionis proficit successori tam universali, quam singulari §. *divina* §. 12. §. *inter. 13. Inst. h. r.*

404 Dico II. Possessio civilis, à modo derivata, quamvis non sufficiat ad Præscriptionem inchoandam, sufficit tamen ad continuandam. P. Engel ad *h. t. n. 27.* Antonell. de

*Temp. Leg. lib. 2. cap. 76. num. 2.* Ratio est: 405 quia, ut possessio civilis sit continua, non est opus, ut quis continuò rem naturaliter aut corporaliter teneat, sed satis est, ut animò rem completatur *l. si id 25. §. 7. ff. de A. vel A. P.* Ergo etiam, ut aliquis præscribat, satis est, ut rem possessam animò retineat *l. possessio* §. 1. §. 14. ff. eod. quia, ubi continua remanet possessio, legitime continuatur & abolivitur Præscriptio.

Quid verò, si possessio civilis non acqui- 406 ratur per veram & actualem apprehensionem seu traditionem, sed fictam duntaxat, à Lege tamen introductam, sicuti contingit, quando aliquis ex clausula constituti vel ex traditione instrumenti, super contractu erecti & confecti, possessionem acquirit: an præscribendi conditio potuerit? Balbus de *Præscr. 2. part. 3. princip. q. 3. n. 4. & 5.* hoc reliquit indecisum. Sed affirmativam opinionem, 407 tanquam veriorum, recipit Covarruv. *d. p. 2. §. 1. num. 5.* tanquam receptorem defendit. Vasquius *cit. l. p. 1. lib. 2. cap. 17. n. 5.* & in eam contra Romanum & Ripam propendet Pax Jordan *Elucubr. diverf. d. lib. 14. tit. 24. n. 111.* Ratio, quæ meum quoque suffragium expri- 408 mit, est: quia ejusmodi possessio, quamquam apprehensione vel traditione fictâ so-

lomodò quaeratur, nihilominùs est vera possessio civilis, omnesque illius effectus participat. l. quod meo 18. in pr. ff. de A. vel A. P. L. Emptionem 1. Cod. de Donat. cap. contingit 9. de Dolo & contum. Quamobrem nec ufucapendi conditio, velut effectus possessionis non postremus, deerit, uti relictur ex n. 396. & seqq.

409 Quæres: quò sensu verificetur illud, in materia Præscriptionis toties usurpatum brocardicon tantum præscriptum, quantum possessum?

Resp. illud maxime verificari in diversis subjectis, quatenus Præscriptio non extenditur de subjecto ad subjectum, sicuti possessio de subjecto ad subjectum alium non extenditur, prout ex Panormitano & Fagnano iam supra memini in cap. 4. n. 445.

410 Hæc ratio, qui jus eligendi in una Ecclesia, vel jus decimandi in uno agro, vel jus jurisdictionis in uno pago præscribit, nequit vel in alia Ecclesia eligere; vel in alio agro decimas colligere; vel in alio pago jurisdictionem exercere: quia scilicet possessio, intermediò Præscriptionis tempore, ad unâ Ecclesiam, agrum, aut pagum contractata fuit. Postius de Maximen.

411 Obf. 73. à n. 59. II. idem brocardicon verificari in diversis objectis, ad eò ut, sicut possessio non extenditur de objecto ad objectum diversum, v. g. à jure venandi ad jus lignandi, à jure sepeliendi ad jus præfatiendi &c. per l. quod meo 18. §. ult. ff. de A. vel A. P. l. prator mit 1. §. ff. de vivere actaque priv. sic etiam non extendatur Præscriptio cap. auditis 15. cap. olim 18. h. t. cap. dilectus 2. in f. de Capell. Monachor. Rota Rom. in rec. p. 5. to. 1. dec. 333. n. 26. Pax Jordan Elucubr. div. tit. lib. 14. tit. 24. num. 112. Latè Gilcken de Præscrip. p. 1. cap. 5. à n. 8.

412 Verùm hæc verificatio declaratione majori eget. Videndum siquidem, an objectum Præscriptionis sit aliquod totum, plures sub se continens species, v. g. jurisdictio; aut pluribus partibus constans, v. g. ager, domus; nec ne. Si hoc; verissima sunt, quæ statim asserta dedimus. Si illud; rursus est considerandù, utrum aliquis alius, quam præscribens, sit in possessione totius, an nullus. Si alius, uti contingit in casu, quò Prælati inferior contra Episcopum, qui existit in præsumptione & possessione generali totius Jurisdictionis Episcopalis in sua Diocesi, præscribit unam vel alteram Jurisdictionis Episcopalis speciem; subintrat regula, tantum præscriptum, quantum possessum: adeoque quæ juris species erat possessa tempore currentis Præscriptionis, ea

sola, & non alia censetur esse præscripta per textus, in n. 411. citatos. Rota Rom. cit. p. 5. to. 1. dec. 265. n. 26. & seqq. Lyncker de Jure rer. indiv. cap. 3. apbor. 6.

413 Quamquam negari vix possit, quin Prælati, ita præscribens, alios actus in eadem specie comfisciens facultatem judicandi super divortio in causis matrimonialibus, possit etiam de valore matrimonii vel sponfaliorum cognoscere. Antonell. us de Temp. legali lib. 2. cap. 105. n. 8. Gilcken cit. cap. 6. à n. 65. Rota cit. p. 10. dec. 561. à n. 5. Si 415

sicquid alius sit in possessione totius; tunc, sicuti possessio totius potest acquiri per apprehensionem partis, ut patet ex tr. de Jure Propriet. cap. ult. to. 2. lib. 2. traditque Postius d. l. à num. 67. sic etiam Præscriptio, in una specie completa, potest ad aliam extendi: utpote cum in illo eventu non tam attendatur ad speciem particularem, quam universalitatem causæ per textum in cap. nunc. autem 1. de Religiof. domib. ubi Panormitan. n. 3. & Rota Rom. in rec. p. 4. to. 1. dec. 129. n. 1. ubi aliquid quoque decisiones allegantur. Antonell. cap. 105. n. 19. Fagnanus in cap. olim. 18. h. t. n. 31. Pax Jordan cit. l. n. 113.

414 Quod si petas, an Præscriptio in uno vel altero jure Episcopali v. g. institutione aut destinatione Clericorum procedat, quando Episcopus, etiam Præscriptionis tempore, non destitit influere, vel destituere, ex ea dubitandi ratione, quòd possessio præscribens hæc modò non continua sed interrupta fuerit

Resp. ex dictis in cap. 4. n. 21. Præscriptionem non quidem privative, sed cumulative procedere. Ita ex instituto Eminentiss. Card. de Luca de Jurisdic. disc. 1. à n. 24. Ratio 417

est: quia ex quo nulla est incompatibilitas, ut duo in eodem territorio vel districtu exercent idem jus per concursum cumulativum, atque in singulis actibus potior sit conditio prævenientis, ut rectè notavit Fagnanus in cit. cap. auditis 15. h. t. n. 13. & seqq. nulla etiam est incompatibilitas, ut unus cumulatively præscribat aliquid jus, remanens Jurisdictionis plenitudine penes Episcopum.

418 Nec timenda est possessio aut Præscriptio interruptio. Nam, ut bene respondet Gonzalez ad idem cap. n. ult. non interruptur possessio seu Præscriptio cumulativa, sed tantum privativa, quâ nempe quis solus, exclusò Episcopò, eam Jurisdictionis Episcopalis speciem exercere vellet.

SECTIO IV.

De Tempore.

SUMMARI A.

419. Tempus est præcipuum requisitum Præscriptionis. 420. Illius diversa computatio. 421. & seqq. In Præscriptione positiva computatur civiliter. 422. & seqq. In privativa computatur naturaliter. 423. & seqq. Res mobiles, etiam presens, triennio præscribuntur. 433. & seqq.

Res immobiles inter presentes decennio, & inter absentes vicennio præscribuntur. 434. & seqq. Largiter explicatur absentia & presentia ad mensuram l. ult. Cod. de Præscript. longi temp. 445. & seqq. Explicatur quoque Nov. 119. cap. 8. in casu, quò aliqui partim absens, & partim

partim presens erat. 456. & seqq. In controversia presentia vel absentia præscribens tenetur probare. 458. & seqq. Pramittuntur multa de servitutibus. 467. & seqq. Servitutibus reales, licet discontinua sint, tempore longò præscribuntur. 469. & seqq. Textus oppositi referuntur, & dilantur. 475. Servitutibus reales, etiam discontinua, eodem quoque tempore amittuntur. 476. & seqq. Sin verò per mensuram septimanarum intervalla discretus sit usus, vicennium exigitur. 480. & seqq. Etiam usufructus, usus, & habitatio longò tempore cum titulo comparatur. 483. & seqq. Et eodem tempore rursus extinguuntur usufructus & usus. 488. Excipiuntur usufructus improprie talis. 489. Et habitatio. 490. Recensentur duplex actio personalis, pro usufructu competens. 491. Concomitans unâ cum usufructu perimitur. 492. & seqq. Antecedens durat 30. annis. 495. & seqq. Argumenta contraria. 498. & seqq. Eorum refutatio. 504. Dicitur de servitutibus ad alia quoque jura applicentur. 505. & seqq. Actionum systematica delineatio. 513. & seqq. Actiones reales naturam sua causa sequuntur. 515. & seqq. Excipiuntur actio hypothecaria. 507. Petitiò hereditatis. 518. Querela inofficiosa. 419. Actio pauliana. 520. & seqq. Non autem publiciana. 523. & seqq. Actiones personales civiles sunt triennaria. 525. & seqq. Quò pertinet etiam actio injuriarum ex L. Cornelia. 528. Actio de aleatoribus à 50. annos porrigitur. 529. & seqq. Actiones pratorie, rei persecutoria, plerumque sunt perpetua; parvas sunt annales. 532. Ponitur exceptio. 533. & seqq. Accusationes criminales vicennio concluduntur. 535. & seqq. Nisi brevius tempus in

aliquibus criminibus sit prefixum. 540. & seqq. Ultra vicennium nulla permittitur accusatio vel inquisitio. 545. & seqq. Jura & bona Principum, nondum incorporata fisco, quadriennii Præscriptionem sustinent. 551. & seqq. Aliud interdum obtinet, si denunciata jam fuerint. 553. & seqq. Jura & bona Principum patrimonialia Præscriptionem quadragenariam habent. 556. & seqq. Idem est de juribus Principum quò Principum, si privati acquiri valent. 559. & seqq. Jura Majestatis extrinseca vel 40. annos cum titulo, vel tempus immemorabile desiderant. 562. & seqq. Jura Majestatis intrinseca non præscribuntur à subito quò tali. 564. Nominè Principis veniunt: etiam Status Imperii. 565. Agitur de rebus Ecclesie. 566. Præscribuntur 40. annis, si sint immobiles. 567. & seqq. Imò etiam mobiles sunt. 583. Nominè Ecclesia veniunt omnia loca pia. 584. Eadem Præscriptio observatur in juribus aliis. 585. Explicatur, quid juris, quando Ecclesia succedit Laico in possessione. 586. Jura spiritualia itidem Præscriptionem 40. annorum agnoscunt. 587. & seqq. Agitur in specie de jure eligendi. 591. & seqq. Item de jure patronatus. 593. & seqq. Similiter de jure decimandi. 603. & seqq. Declarantur specialia in Præscriptione beneficiorum. 609. Ecclesia Romana tantum patitur centenariam Præscriptionem. 610. & seqq. Non item civitates. 614. & seqq. Jura, Pontifici reservata, sunt impræscriptibilia. 617. & seqq. Exempli gaudens centenaria Præscriptione. 619. & seqq. Variorum Ordinum privilegia. 622. & plurib. usque ad finem, assignatur tempus in Præscriptionibus inominatis, incipiendò à momentis, horis, diebus &c.

§. I.

De Computatione Temporis.

419 Quartum Præscriptionis requisitum, imò, ut memini ab initio hujus cap. primùm ac præcipuum est Tempus. Hujus tam accurata habetur ratio, ut non tantum annorum, mensium, hebdomadarum, sed dierum quoque & horarum, imò momentorum calculus subducatur. Unde in hac scilicet prima fe pandit quæstio de computatione temporis, an naturaliter, hoc est, de momento ad momentum computari debeat, ita ut possessor eòdem, quò cepit possessionem, punctò compleat; an verò civiliter, ut sufficiat ultimus dies captus; adeoque non per momentorum dividendum minutias, sed instar cujusdam individui considerandus, quatenus totum transgessisse diem credatur, qui vel unò ejus momentò in possessione extitit? Puto distinguendum esse inter Præscriptionem positivam & privativam, &

de Diversis & temporal. Præsc. in prin. ita disponitur: in usucapione ita servatur, ut, etiam si minimò momentò novissimi diei possessa res sit, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendam constitutum tempus. Idem decernitur 422 in l. in usucapionibus 6. ff. h. t. ibi: in usucapionibus non à momento ad momentum sed totum postremum diem computamus. Ideoque (prosequitur l. seq. 7. ff. eod.) qui horâ sextâ diei Calendis Januarii possidere cepit, horâ sextâ noctis pridie Calendis Januarii implet usucapionem. Quam posteriorem L. ad faciliorem Germanorum intelligentiam Rath cap. 5. assert. 51. lit. B. sic dilucidat, quòd sexta noctis hora non secundum nostra horologia pro sexta vespertina, sed juxta Romanorum morem & computationem pro dimidia nocte accipienda sit, quæ dicitur hora sexta noctis, sicut hora sexta diei vocatur merides quasi medietas. Hinc qui horâ sextâ seu meride Calendis Januarii possidere cepit, post decennium horâ sextâ noctis pridie Calendis Januarii esse post mediam noctem complet usucapionem: quia ultimus dies post mediam noctem cæptus habetur pro completo.

421 Dico I. In Præscriptione positiva tempus computatur civiliter, de die in diem, ita ut dies ultimus captus habeatur pro completo. Haunold tr. 5. cap. 2. Contr. 4. num. 266. & Interpretes communiter. Textus ad hoc probandum non unus extat. Nam in l. in usucapione 5. ff.